



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Thomas Ep. M. 29. Decembris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

S. THOMAS EP. M. 29. Decembris.

**N**on jam primùm sanguine piorum  
 rigatis Anglia. Iam olim fuso **THOMAS**  
 cruori fructum debebas, nisi cheu!  
 sterilitatem hæresis in duxisset. Sed ego  
 ad **THOMAM** me verto. Adolescens cum  
 eripere aquis accipitrem laboraret, ipse  
 iisdem panè abreptus est. Sed molæ  
 rota exitium aliàs adnatantibus, tunc  
 sponte suâ consistens, **THOMAS** scala  
 fuit. Debeatur scilicet diutiùs An-  
 glia regno, cuius Cancellarius postea  
 creatus à rege est. Paulò post hic infu-  
 lam Cantuariensem addidit: quam tan-  
 ti **THOMAS** fecit, ut hanc postea regi  
 edictis impiis contra Ecclesiam pugnan-  
 ti non dubitarit opponere; quin solâ  
 cruce armatus cum irato congredi. In  
 illâ pugna, ut amat fieri ad tribunalia,  
 damnatur innocentia ad vincula. Sed  
 libertas Christiana exilium elegit, in  
 quod ipsum rex omnes amicos **THOMAS**  
 egit, ut si non suæ suorum certè  
 miseriæ succumberet. Sed his calamita-  
 tibus ille ad martyrium, velut tyro ad  
 palum, se exercebat. Nec multò post  
 ipse conspicuus Christus ad palmam in-  
 vitavit. Ergo redux in Angliam in tem-  
 plo invaditur. Prodit **THOMAS** in am-  
 plexus hostium, vetat primò cuiquam  
 alteri

812 VITÆ SANCTORUM. 29. Dec.  
alteri è suis manum injici, jugulum de-  
inde præbet, cadit, & muneris sui ne-  
que post mortem oblitus, bene omni-  
bus è feretro dicit. O nunc iterum ali-  
quando THOMA, bene Angliæ tuæ præ-  
care. Ex Edwardo.

*Nihil in homine, cui curiositas profit,  
invenies. Frivola prorsus & inanis ac  
nugatoria consolatio: & nescio quid illi  
durius imprecer, quàm ut semper habeat  
quod requirit, qui jucunda quietis fu-  
gitans curiosâ inquietudine delectatur.*  
S. Bern. in sent.

S. MARCELLUS CONF.  
29. Decembris.

**A** Pameæ natus MARCELLUS patrum  
morte puer amisit. In puero tamen  
hoc miseri patrem suum invenerunt,  
cùm hereditatem omnem his cederet.  
Ephesi quoque quod scribendo lucellum  
sibi parabat, habebat cum egenis com-  
mune. Pòst verò Abbas certavit etiam  
cum Deo liberalitata. Sed cur hic ab  
homine vinceretur? Itaque cùm x.  
nummos, qui uni reliqui erant, omnes  
erogari in captivos nuper Episcopos jus-  
sisset, mox dono xc. talenta recepit.  
Succensuit nihilominus dispensatori,  
quòd uno retento nummo, scenus x. ta-  
lentis imminuisset. Taceo horreum va-  
cium